Berruyer

Exemplum Judicii Revisorum 1729
25 mai

De Libro Gallico cui Titulus histoire du peuple de dieu
et Specialiter de explicatione quarumdam prophetiarum quæ
in eo continentur.

Admodum Reverende Pater

Pluribus de causis accusatur hic liber, Scilicet quod Stylus Sit
alicubi Sanctæ Scripturæ majestate indignus, quod aliqua velo
potius tegenda aperte proferat, quod Sacrum Sensum minus
fideliter reddat, quod opiniones in chronologia Singulares, et a
Societate rejectas renovet et deffendat. Singulariter autem accusa-
tur explicatio quarumdam prophetiarum, et de hac precipue
judicium nostrum exquiritur; Scilicet autor prædicti libri
variis prophetiis quibus haud dubie christus prænunciatur
Geminum Sensum litteralem attribuit, unum imperfectum, Sed
tamen Spectatis circumstantiis plenissime verum; alterum ~~im~~per-
fectum, plenum, et dei majestate unice dignum, atque in hoc
ultimo Sensu, dicit prophetias in christo impletas fuisse, licet in priori
Sensu minus perfecto impletæ jam fuerint, in aliis Scilicet quam
in filio, nempe in Ciro. &c.

Prophetiæ autem quibus geminum hujusmodi Sensum affixit,
Sunt præcipue Sequentes. Isaiæ. C. 7. v. 14. et 15. Ecce virgo concipiet
et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel, Butyrum et
mel comedet, ut Sciat reprobare malum et eligere bonum. Item
C. 9. et Seq. et factus est principatus Item. C. 11. v. 1. et Seq. egredi-
etur. &c. et caput Isaiæ 53. integrum. Michææ C. 5. v. 2. et tu
Bethleem. &c. Præterea non nulla ex prophetiis Danielis. C. 9.
v. 31. et Superioribus, quod de christo ejusque regno communiter expli-
catur; autor non de christo, Sed de aliis explicat.

Quæritur, quid tum de ipso libro, tum præcipue de tali prophetiarum
interpretatione Sentiendum.

Respondemus ad 1.um

De libro ipso, utpote gallice Scripto, accuratum judicium ferre vix
possumus, Sed censemus negotium hoc committendum viris in galliâ
doctis et gravibus, qui ea quæ libro huic objiciuntur diligenter
examinent; et corrigi curent quidquid lectores offendere posset, et
quod communi doctorum Sensui opponitur, aut cum opinionibus

in chronologiâ singularibus, et alias rejectis convenire deprehenditur, praesertim cum ea chronologia connexa est cum prophetiarum interpretatione de qua mox agetur, atque vel ex ea deducitur, vel ad eam confirmandam assumitur.

Respondemus ad 2.um

hanc prophetiarum explicationem in nostrum scolis aut libris non esse permittendam et in novâ illius editione si qua facienda est omnino corrigendam. Rationes quae ad sic judicandum, re maturè ac diligenter consideratâ, nos inducunt, sunt sequentes.

1.a quia haec interpretandi ratio videtur opposita comuni sensui, non solum theologorum et interpretum, sed etiam sanctorum patrum, qui unanimi plane consensu praedictas prophetias de christo unice intellexerunt, et multi omnino aliam interpretationem expresse rejecerunt, adeo ut author libri ne unum quidem ex sanctis patribus pro se attulerit et forte nec referre possit qui prophetias praecipue Isaiae et Micheae de alio quam de christo intellexerit: opiniones autem, et doctrinae a communi doctorum, theologorum, et maxime sanctorum patrum sensu abhorrentes, in nostrorum libris tuendae non sunt, juxta regulam revisorum 6.am et 7.am

2.a hujusmodi divinae scripturae interpretatio est saltem parum conformis doctrinae concilii Tridentini sess. 4.a quâ statuitur ut nemo &c cum igitur intelligentia prophetiarum ex quibus invicta argumenta pro christi adventu et divinitate passim desumuntur, haud dubie sit res pertinens ad fidem et aedificationem doctrinae christianae, non licet in earum interpretatione ab unanimi sanctorum patrum consensu discedere.

3.a Geminus sensus litteralis praeterquam quod clarissima de christo testimonia a propria significatione verborum in aliam non nisi violenter detorquet, multum debilitat ~~vim et~~ robur argumentorum quibus S. patres et catholici authores ex illis prophetiis deiparae virginitatem, contra Judaeos et alios infideles adstruunt. Si enim prophetiae Isaiae C. 7. et 9. et idem cum proportione de aliis intelligendum est integre in sensu litterali et verissime de puro homine impletae dicuntur, difficile sane est solide probare infidelibus, alium insuper naturalem sensum his verbis inesse qui christum ejusque de virgine nativitatem ac divinitatem significat.

Neque satisfacit id quod pro libri defensione affertur, scilicet illum sensum satis constare ex traditione, nam imprimis S. patres aliique doctores, ex ipsis prophetarum verbis probant eas necessario de christo esse intelligendas: deinde vel intelligitur traditio ecclesiae

christianæ, vel Synagogæ Judaicæ: illam Judæi contemnent aut pernegabunt, nec facile erit vel ob ipsam rerum judaicarum antiquitatem aut obscuritatem eos Solide convincere

Sed neque pro libri deffensione multum facit eorum authorum Sententia qui pluribus Scripturæ locis maxime ubi de christo Sermo est geminum Sensum litteralem attribuunt. nam licet ea Sententia communiter reputetur, non quidem certa, ut erudite ostendit Vasquez 1a part. D. 17. et 18. Sed tantum probabilis, Geminus Sensus litteralis attribui non potest iis Scripturæ locis quibus S. patres unicum attribuunt præcipue quando alio Sensu admisso, argumenta patrum contra infideles robur Suum ~~amitterent~~ amitterent, vel Saltem imminuerent, ut in præsenti casu contingeret.

Denique hanc interpretationem à nota novitatis et Singularitatis non Satis liberat authoritas eorum quos pro Se Stare libri author asserit; etenim ut aliqua doctrina a nostris doceri aut evulgari possit, non Sufficit præcipue recentioris exemplum, Si alioquin Sit contra torrentem aliorum præcipue Sanctorum patrum.

Deinde nec omnes illi authores catholici, nam de hæreticis non curamus quos pro Se citat, reipsa videntur illis favere Saltem in eo quod in hac interpretatione præcipue nobis displicet, Scilicet prophetias illas integras in Sensu verissimo verificari de alio quam de christo domino. Etenim huetius licet in explicatione C. 7. Isaiæ in non nullis cum authore Sentiat tamen expresse asserit verba illa C. 9. v. 6. et factus est, esse talia quæ uni christo congruerent nec alio præterea torqueri possint. quam tamen explicationem verborum illorum Ecce virgo concipiet a nostris authoribus non censemus imitandam. Franciscus Lucius Burgensis, loco ab authore citato, verba illa ecce virgo concipiet de filio Isaiæ Solum ex parte et ita tenuiter et imperfecte convenire, ait, ut Simpliciter convenire dici non possit. non igitur illi in Sensu verissimo convenit. Jacobus Tirinus licet illa verba Isaiæ C. 7. v. 16. antequam Sciat et aliqua ex C. 8. explicet de filio Isaiæ mox nascituro tamen verba præcedentia ecce virgo Solum explicat et intelligenda dicit, de virgine deipara, et christo ejus filio, cujus typus et umbra est filius Isaiæ ut totum textum legenti manifestum erit. Paternitatis vestræ admodum reverendæ humillissimi in christo Servi

è collegio romano.
25.a maii 1729.

Eduardus de Vitry.
Joannes Jacobus Ghezzius
Emanuel de La Reguera
Leonardus Sichiderer.

approbatum est Judicium a Patre nostro Generali die 2a junii et transmissum ad patrem Bretonneau, Superiorem domus professæ ut executioni mandetur.

Case
Wing
folio
.Z
144
.A1
v.4
no.87

THE NEWBERRY LIBRARY